9

Q. F. F. F. Q. S.

QUÆSTIONES

CHEMICO - MEDICÆ DUODECIM,

AB ILLUSTRISSIMIS VIRIS

Regis Consiliariis, Medicis, & Professoribus Meritissimis R.R. D.D. JOANNE-FRANCISCO CHICOYNEAU, Cancellario amplissimo & Judice; ANTONIO MAGNOL, Decano Venerando; HENRICO HAGUENOT; ANTONIO FIZES; FRANCISCO DE SAUVAGES; FRANCISCO DE LAMURE; FRANCISCO IMBERT.

PROPOSITÆ

IN AULÂ EPISCOPALI MONSPELIENSI coram Illustrissimo Venerabili nec non Religiosissimo D. D. FRANCISCO - GABRIELE DE POMIERS DE ST. BONNET, Doctore Sorbonico, Abbati Sancti Policarpii & Vicario Generali.

Pro Regiâ Cathedrâ vacante.

Per Obitum R. D. CAROLI SERANE, Regis Consiliarii Medici, & Professoris Meritissimi.

Quas, Deo favente, & auspice Dei parâ, propugnabit in Augustissimo Monspeliensi Apollinis Fano, triduo integro, manè & serò, diebus 10, 11 & 12 Maii anni 1759.

LUDOVICUS ESTÈVE, M. D. M.

MONSPELII,
Apud JOANNEM MARTEL, Universitatis Medicinæ Typographum. 1759.

DEO DATIS

Clinicis judicio Hypocratico dotatis artem hypothesi liberam exercentibus optimos agendo, vigilando, consulendo, se cives rei publicæ præstantibus.

D. D. D.

LUDOVICUS ESTEVE, M.D.M.

Ceux qui étudient sérieusement *la Médecine*, ne pensent pas à imaginer des sistêmes hypothétiques pour briller sous les apparences du savoir ; les connoissances qu'ils ont à acquerir sont si prétieuses & si intéressantes pour des Hommes sages, qu'elles ne leur permettent pas de se livrer à des idées chymeriques.

Quesnay, *Œcon. Animal.*

PROËMIUM.

EX quo univerſalis ſcientia facta eſt Chemia, non modo Philoſophi *tranſcendentes*, ſed & etiam vinarii, acetarii, *fermentatorii*, tinctores, figuli, aurifabri, metallurgi, docimaſtæ, propriæ artis obliti evaſere Medici, atque analyſibus (1) analogiis, ſpeculationibus (2) artem defedarunt omnium ſanctiſſimam. Nec ita aberraſſent ſi illis inpromptu fuiſſet iſtud Boërhavianum aſſertum *Evictum modo fuit modos quibus vita hominum expedit morborum cauſas, arti Chemiæ prorſus non imitabiles eſſe: pendere vitam & ſanitatem à tam multis, diverſis, intricatis atque ſubtilibus & blandis cauſis, ut vana ſpes implendis tantis promiſſis à Chemiâ oſtentaretur.* Tempuſque & operam in perficiendam ſemejoticem & therapeiam contuliſſent, obſervatâ factorum (3) circumſtantiarumque ratione; eamque tantum Chemiæ coluiſſent partem quæ therapeiam ſpectat & quæ jure pharmaceutica dici aſſollet (4), ſeclusâ omni Philoſophiâ. Jam ars Hipocraticâ

---

(1) On commence à s'appercevoir que les Analyſes ont introduit beaucoup plus d'erreurs que de connoiſſances utiles, dans la théorie de notre Art.... & qu'elles ont un uſage fort borné dans les recherches que l'on fait ſur les parties intégrantes d'où dépend la vertu des remèdes ....
Queſnay, Œcon. animal. tom. 2.

(2) Faciat (quiſquis) periculum quid valeant ſpeculationis meditabundæ vires! Inacceſſam ſibi hac viâ naturam fatebitur ...... & quam longè abeſt à vero cauſas univerſales phyſicas exiguis arctari poſſe mentis cancellis. Boërhav. orat.

(3) Optima Medicina quæ res facti cum circumſtantiis debito ordine proponit quæ jure veritas hyſtorica dicitur .... Freder. Hoffman. de med. hypoteſi vindicandâ.

(4) In regionibus calidis Chemia pharmaceutica contractior eſt quam in ſeptentrionalibus .... *In Italiâ (inquit Hoffmanus), Hiſpaniâ magnâque parte Galliæ nulla curatio magis conducit quam veteri galenicæ ſimillima, per decocta, ptiſanas, julepos, ſirupos, ſerum lactis, & fontes medicatos, item oleum amygdalarum, mannam, tamarindos. Prorſus ibi abſorbentia terrea minus quam noſtrates ferunt: mercurialia autem difficillime tollerant & purgantibus pleriſque abhorrent, eſſentias vero & tincturas noſtras, tam MULTAS vel ignorant, vel aſpernantur tamquam ipſis ſupervacaneas, ſi non etiam noxias.*

procedens methodo ſummum profecto eſſet aſſecuta incrementum vel ſummo gentis humanæ emolumento.

Non ego in hoc inſequor Chemiam niſi ut liberalibus (1) & arbitrariis artibus adjungam in quibus quidquid diſcitur, non magis intereſt an verum an falſum ſit modo ſit elegans & *tranſcendens* quam brachmanorum inſana religio : in Medicinâ autem (quæ ſcientia eſt alterius nec conſortio nec auxilio indigens) res alio prorſus modo ſe habet, ſi quidem error vel minimus in hominum perniciem cadit, in hac meditabundæ ſpeculationes ad cognoſcendam naturæ vim, nihil quidquam proficiunt imo nocent plurimum ; in aliis vero nubem pro junone amplecti impune fas eſt.

His de cauſis adducti ſumus pro ut fert ars (2) noſtra ut propoſitas quæſtiones ſolveremus habitâ dumtaxat artis Medicæ ratione, cætera ut pote inutilia ſilentio prætermiſimus, quod ſi ex propoſitis una altera ve ſolutio nimium ſtricta fuerit ipſam breviter ſolvimus, & ut latior pateret diſputationibus campus, pro ut jam inſtituit *ſtrenuiſſimus Antagoniſta* aſſerta quædam propoſuimus Medica.

Hæc ſunt L. B. quæ tibi obſervanda offerimus ne vitio nobis tribuatur ſi minus Chemiæ corpuſculari quam pharmaceuticæ (3) proſpexerimus. Hæc interea bonis accipe auſpiciis.

---

(1) Medico-crabrones recalcitrans, acriter premit *Gedeo Harvæus*, Medicatis magis confidens ſedibus *Trallius* ultro compellit intrare. Medicus quæ ſacro tegit involucro natura provida & utili conſulens veneretur non perſequatur & morbos ad intaminatam indicationum ſimplicitatem commode atque ſcienter redigendos nervoſe intendat experientiâ circa ægrorum lectulos acquiſitâ, judicioque perſpicaci inſtructus. Magis in coarctandâ quam ampliandâ remediorum ſupellectili allaboret. Talis eſt recentiorum repurgatæ medicinæ ſimplicitas.

(2) Chemiam Phyloſophicam nullam fatetur *Freindius* prælect. 1. elementa Chemiæ nulla tradi poſſe his temporibus cenſet, verè egregius Chemiſta, Baron, preface au Cours de Chimie de Lemery. Imò ab artis Chemiæ intricatiori ſtudio veros artis ïatricæ cultores avertit pag. IV.

(3) Juxtà quæ docuerunt celeberr. Deidier, Fizes, Boërhave, Maloüin, Mathe, fertilitateque peccans Lemery.

QUÆSTIO PRIMA.

AN ALCALIA VOLATILIA E QUACUMQUE ſubſtantiâ eliciantur ſint una, eademque ſubſtantia?

E SUBSTANTIIS non modo animalibus, verum & etiam vegetabilibus, mineralibusque aptis, novit Ars Chemica modum ſalia alcalia educendi : prius regnum hujus ſalis fons jure dici debet, non ſolum enim pauciſſima vegetabilia, ut & mineralia, ſalem hujus generis fundere valent imo ſub parciſſimo proventu.

Verum dum de factis conſtat, non pariter conſentiunt Chemiſtæ de hujus ſalis ortu & geneſi. Eſt ne? Ignis an putrefactionis ſoboles? Tranſmittitur ne in plantas ſub ſpecie ſalis ammoniacalis? An in plantis, an in animantibus generatur? Qui ſpectabit in homine ſano ne minimum ſignum hujus ſalis ineſſe expliciti, bilem, urinam putrefactam cum acidis effervеſcere, ſubſtantias regni vegetabilis putrefactas quæ ante nullum fundebant alcali volatile nunc copioſum ſuppeditare dubitabit multum de generatione ſalium volatilium in animantium corporibus ſanis. Nullam tamen circa hæc amplecti ſententiam animus eſt ne ducamur in vitium; nec more logicorum unguibus & roſtro tueri opinionem nobis arridet, minus enim almæ hujuſce Univerſitatis reſponderem votis quæ doctrinæ ſuæ certitudine cæteris præcellit Academiis quantum cupreſſus viburnis. Eoque magis quod has ſen-

tentias & viciſſim reſurgere & extingui vel ſummo Chemiæ phyloſophicæ, opprobrio videmus, atque hinc errores naſci tam circa therapeiam quam diæteticam.

Novit Chemia artem parandi ſal volatile ſed & etiam claſſicam ſyncriſim. Non potuit tamen hujus ſalis eſſentiam noſcere; hinc damnatur *ſchola Sthalhiana*, quæ neſcio quo apolline ſalium volatilium deducit caracterem à præconceptâ partium configuratione. Hinc perperè diceretur Chemiam à ſuis cultoribus repurgari, culpæ fuga ducit ad ſigna deducta ex proprietatibus ſenſibilibus.

Salia autem alcalia volatilia, non ſolum odore & ſapore interdum differunt, ſed ſi cum calce aut alcalicis fixis tractentur renuunt formam ſiccam dumque alia coagulant ſpiritum vini in offam, cætera in floccos convertunt. Aſt hæ differentiæ eſſentiales non ſunt, ſed ad artificis libitum, hinc ſi infuſione in ſpiritu vini aut cum alcalicis fixis tractentur quæ odore & ſapore inter ſe diſcrepabant, fiunt prorſus inter ſe ſimillima ſervatis proprietatibus eſſentialibus.

Vires autem ipſorum medicatæ, niſi gradu differunt indiſcriminatim uſurpari debent, vi potentiſſime cardiacâ ditantur, ſpeciali modo nervos irritant hinc convulſos forſan ſpecialem contractionem ſuſcitando pacant. Inter nervina autem & anti catharralia falſo annumerantur, nihil quippe tale datur in rerum naturâ, pro variâ enim indicatione varia requiruntur remedia. Quæ de vi ſpecificâ prædicantur adverſus quædam venena nondum firmo ſtant talo; paucorum enim exemplorum imago ſæpius decipit. Salium volatilium uſus internus non admodum tutus eſt, in iſtis præſertim regionibus, nec, ſi unquam adhibenda ſint, niſi extremo periculo citra plethoram. Quibus præmiſſis, concludimus. *Ergò ſunt unum & idem.*

QUÆSTIO SECUNDA.

An Mercurius vitæ mitior fieri poſſit, & an in eo lateat magni momenti remedium ut quibuſdam viſum eſt?

MErcurius vitæ *ſilvio* mercurius mortis dictus, pulvis eſt albicans ex oleo antimonii largâ aquæ adfuſione præcipitatus, (debilitato acido ſalis marini). Conſtans ex regulinâ antimonii parte & acido ſalis marini ſimul unitis.

Pulveris hujus author dicitur *Vittorius Algerotto*, Medicus italus. Locum ibi merito obtinebit iſtud *Gorris* effatum *nullum hominum genus videas impudentius ultra modum extollendis remediis quam Chemiſtas*, quod demonſtrant encomia, quibus panacearum fautores hunc-cè decorant pulverem, jure è foro Medico excludendum neque enim tuto adhibetur, neque in ipſo ullæ latent medicatæ vires præter quæ ipſis communes ſunt cum ſtibiatis emeticis. Lubens ergo ſuis opinionibus tumere patiar hujuſce remedii laudatores. Unum tantum notabo in ipſos qui violentius deſiderant emeticum, à violentioribus emeticis, in affectibus comatoſis, difficilius ut plurimum moveri vomitum quam à levioribus & à catharticis mediocribus, qualis ptiſana regia emeticis maritata, unde fere ſemper cum malis ægri rebus ad violentiora emetica recurreretur nihil enim ex ipſis ſperandum eſt quod non obtineatur per vinum emeticum; imo ſæpius reſtaret inflammatus ſthomacus diſcuſſo affectu.

Plurima media adhibuere, qui ſilva remediorum opus eſſe autumant ad profligandos morbos, quibus violentia hujus remedii retunderetur; alii pulverem impoſuere igni aſſidue agitando, alii ſpiritum vini adhibuere ut ejus oleo ut, aïunt, caſtraretur acidi venenata vis, ex iis autem mediis quamvis nec immeritò aliquid ſperatum fuerit non minus remanſit remedium infidum & periculoſum, ideoque rejiciendum iiſque tantum commodum qui *inconditâ abundantiâ*, *tegunt ignorantiæ inanitatem*, *tentatis falſo plurimis: ſicque lactant ægrotantis deceptum animum.*

Eo nos ducit res allaborans magis reprimendo quam innovando ut illos carbone notem qui ſublimatum corroſivum dulcificatum, ut aïunt; mediante ſpiritu vini audaces propinant in curandis ſyphiliticis affectibus, quos ſi debellandi locus datur certò, tutò & jucundè maxime hydrargiroſi peritè præſcriptâ, non vero remedio modo exitiali modo poſt ſe adducente inſanabiles alios chronicos affectus ut teſtantur ce-

(*) *Sive aqua fervida, ſive frigida præcipitetur pulvis idem eſt remedium, imo dum præcipitatur interventu olei tartari, vis ejus emetica in purgantem non mutatur ut contendunt quidam. Quod referunt de vi diaphoreticâ in receſſu atque ſuccedente ſomno placido utpote rationi & experientiæ repugnantia in Theſi non retuli: quocumque modo corrigatur pulvis aut reſtat ipſi unita acidi marini pars & tunc venenatus eſt, aut ſi perfecte ipſo ſpoliatur tunc non præcellit croco metallorum.*

leberrimi in arte viri. Quibus collatis pro coronide & ultimo firmamento ponimus.

Ergò quamvis Mercurius vitæ mitior fieri possit è foro Medico non minus est expungendus, nec in eo latet auxilium tutius, usitatioribus emeticis stybiatis.

ATLHETÆ *strenuissimo*, si strictius soluta videatur quæstio, proponimus omne problema solvendum circa Medicinam repurgatam, inixi certitudine epilogismi & ratiocinii mecanici, habitâ ratione primi principii actionum.

QUÆSTIO TERTIA.

An fermentatio sit principium enucleandæ œconomiæ animali accomodandum?

CORRUIT tandem antiquiorum Chemistarum numquam intellecta fermentatio, *Sydenhamo* judicio hypocratico dotato numquam recepta; quam jure ad doliarios relegat *Tralesius*. Qui monstri hujus centicipitis historiam noscere volet. Is non modo *Helmontii*, *Silvii*, *Tachenii*, *Overcampi*, *Botekoei*, *Willisii*, sed & etiam *Pitcarnii*, *Bohnii*, *Walisnierii*, *Borelli*, *Boërhavii* opera conferat necesse est. Nos autem problemati proposito solvendo propiùs accedentes ne oriatur confusio fermentationi suos circumscribimus limites quâ intelligimus putrefactorium motum in animalibus substantiis; in vegetabilibus vero aptis modò vinosam, modò acidam, sic dictam stricto sensu, non quod vegetabilia putrefactione non corripiantur, sed quod gradus ille in subjectis, propositum non spectat problema methodique gratiâ fermentationem spectabimus. 1°. Ratione interiorum partium. 2°. Habito respectu primarum viarum, quo nomine hic intelligi volumus ventriculum & prima è gracilioribus intestina.

Collatis omnibus scriptis hactenus de putrefactorio & incipiente sanguinis motu & lymphæ intestino, contendimus nullos generari morbos à sufflaminato illo motu contra placita quorumdam recentiorum, nec crises, nec exantemata, nec calorem animalem ab ipso nasci. Imo sanguinis fluiditatis in homine sano causam non esse ipsius putrefactorium incipientem motum, quippe à primo putrefactionis gradu spissum oritur

tur liquamentum, ut patet ex *farinaceo* ſapore de quo conqueruntur qui ſuburrâ laborant, & ſapor ciborum è regno animali qui ſitum contrahere incipiunt.

Quoad ſecundum obſervet, amabo, *Antagoniſta urbaniſſimus.* 1°. Ab uſu fructuum horræorum debiles inebriari quod ſanis & robuſtis non contingit niſi peccent in uſu.

2°. Sanorum, qui nimiâ peccant repletione carnium, apetitum proſtrari qui facile reſtituitur uſu fructuum aceſcentium, motum putrefactorium coërcentium quod ſæpius in memet ipſo expertus ſum.

3°. Sanos, quibus contigit motu navigationis, contenta in ventriculo rejicere, de nullo conqueri ſapore nec acido, nec putrido in chymo.

4°. Lac & chylum ſubdulce nec acidum, nec fætidum eſſe quamvis pronum in aceſcentiam.

Hinc deducam nullam in homine ſaniſſimo fieri fermentationem.

Experimenta autem phyſica & analogiæ, in contrarium afferenda rejicio, cætera quippe paria non ſunt. Notante enim *Gortero* periſtallico primarum viarum ſuppreſſo motu à ſuperveniente ſpaſmo oriuntur fermentationis ſigna quæ prius non erant.

Nec clam me eſt in pretio fuiſſe ſtoicos, mutatâ ac inversâ naturâ humanâ, & ſublime neſcio quandam excitare ſui admirationem; aſt ego illi Philoſophorum laudi facile valedico, ſi veri detrimento mihi ſit philoſophandum.

Dum peccatur autem in diætâ, aut cum morbo corripimur, longe alio prorſus modo ſe res habet, & fermentatio ſi non cauſa morbi, ſaltem comes eſt.

Non aliena mihi videtur hæc annotatio. Longe à vero abeſſe qui ſub quodam putrefactionis gradu generari ſal volatile alcalinum prædicant, & qui inde deducunt morborum ſymptomata. Differt enim gas illud ex corruptis alimentis natum, à ſale volatili; prius vi ſuâ deleteriâ febres malignas imo peſtilentiales producere valet, à poſteriori non ſic degeneres ſequuntur affectus. 2°. Sal alcali volatile putrefactorium motum carnium retundit; gas illud ſubito vicina quæcumque corrumpit, quibus collatis concludimus.

Ergò fermentatio non eſt principium œconomiæ animali enucleandæ accommodandum, aliquam tamen lucem æitiologiæ morborum affundit.

QUÆSTIO QUARTA.

An Tartarus ſtybiatus omnibus emeticis hactenus notis antecellat, utrum validior debiliori præſtantior ſit, & quomodo præſtantiſſimus parari debeat?

TARTARUS ſtybiatus eſt ſal neutrum cryſtallifationis capax, conſtans ex regulinâ antimonii parte & acido tartareo.

Minus enim tartari ſtybiati titulo inſigniri meretur qui ſalibus neutris parari ſolet.

Pro baſi hujus ſalis alii vitrum antimonii, alii hepar, alii crocum metallorum, alii & vitrum & hepar, aut crocum adhibent. Aſt vitrum violentius eſt, diriſſimas leypotimias, pectoris anguſtias, dolores, imo inflammationes ventriculi poſt ſe trahens ut obſervandi locus nobis datus eſt. Dum quidàm Chirurgus pulverato vitro uteretur, ad inveteratas ſiſtendas gonnorrheas. Nec refert utrum uſurpetur in regionibus frigidis, Monſpelii enim ſcribo. Meamque frimat ſententiam *Vephferus.*

Inter autem hepar & crocum metallorum, poſterior antecellit ut pote ſalibus neutris, & alcalicis ſpoliatus.

Præſtantiſſimus autem tartarus ſtybiatus ſic parari debet.

Recipe cremoris tartari part. 11. ſolvatur in aquæ ferventis partibus 27. ſenſim dein affundatur croci metallorum exacte pulverati pars. 1. bulliant ſimul, donec bullulæ è fundo vaſis aſcendere deſinant, quod intra ſemi-horam ad maximum exequetur, liquor dein per cartham bibulam filtretur, evaporeturque ad ſiccitatem. Tartarus ſtybiatus exacte miſceatur, ſervetur ad uſum.

PROCESSUS RATIO.

Determinatur proportio cremoris tartari ex gradu ſolubilitatis. Majorem croci quantitam adhibemus, quam ſolet, fieri ut ſaturetur omne acidum, nec in hoc peccatur, croci enim pars ſuperflua filtro remanet.

Ebullitionem lenem, & breviſſimam adhibemus, ne ignis continuâ applicatione mutetur vis cremoris, & croci, & hoc ex experientiâ deducitur.

Evaporationem ad ſiccitatem, cryſtallifationi anteferimus, ut

potentius obtineatur emeticum, & certius. In cryſtallis enim non æqualiter diſpergitur regulina antimonii pars, imo quoniam cryſtalla quandam aquæ portionem eſſentialiter retinent, præbent emeticum debilius.

Hinc patet in quo ſenſu validior tartarus ſtybiatus, ſit debiliori anteferendus.

Quam amplexi ſumus veri indagationem, ea deſiderat, ut tartaro ſtybiato ſuâ laude non defraudato, ſuâ non ſpolietur, ſyrupus Glauberi emeticum in votis Sydenhami, pro delicatulis cum ſucceſſu uſurpandum à viro perito, idem dicatur de vino emetico, de radice braſilienſi nimium neglectâ.. quæ cuncta ſuos uſus, ſpeciales habent, in quibus cæteris etſi Nobilibus emeticis antecellunt., „*Hinc patet* tartarum ſtybiatum, etſi præſ-
„ tantiſſimus ſit, abſolute cæteris emeticis hactenus notis non antecellere
„ in quo ſenſu validior debiliori ſit præſtantior & quomodo præſtantiſ-
„ ſimus parari debeat.

„ Patet Athletæ urbaniſſimo ampliſſimum ſtadium circa limites adſ-
„ cribendos ratiocinio mecanico in Medicinâ, & de erroribus natis ex
„ Methaphiſico & Hypermecanico.

QUÆSTIO QUINTA.

An dentur ſalia per aërem vagantia, & cujuſnam naturæ ſint juxta experimenta à multis inſtituta?

TOT per aëra diſſeminantur ſubſtantiæ, ut antiquiores Philoſophi veram in ipſis *panſpermiam* admiſerint, firmatur hæc opinio continuâ vegetabilium, mineralium, animalium-vè exhalatione; multa in aëre putreſcunt, plura per ignem in aëra diſperguntur, vegetantia quædam ex aëre aliquid nutritii ad ſe alliciunt. Hinc jure diceretur, *aurum nequidem raptu immune eſſe.*

Quâ ratione in auras minutiſſimæ corporum ponderoſorum miculæ ſuguntur? An ne attractione newtonianâ? An ne materiæ æthereæ & vorticum vi? An ne actione quâdam chymicè agente? hic loci perpendere non juvat. *Quamvis jurgii cauſam inferant qui prepetes pervolant in ſubtilores rerum naturas.* Quì fit in halitibus per aëra vagantibus? quâ

ratione solum differt à solo? Quomodo nascuntur meteora? In quo differt aër mephiticus & subterraneorum ab aëre libero? Hic non perpendam athlanti magis id conveniret. Quod si tamen *Athleta strenuissimus* aliquid hac de re certi stare contendat, *litem moveat*, retro pedem non referam.

Ex aëre in terras salia multa deponi jamdiù observaverant *Glauberus*, *agricola*, *cardiluciusque* terræ enim multæ è mineribus elicitæ quæque elutriatione nullum suppeditabant sal, aëri expositæ notabilem vitrioli aluminisve quantitatem suppeditarunt .. HENRICUS DE ROCHAS, ECKER, aliud præter observarunt nempe glebas sale insito exhaustas reviviscere aëris virtute. Quæ experimenta à multis instituta fuêre cum successu.

Verum tamen de naturâ hujusce salis ætherei diu dubitatum est. Stalhius vir de Chemistis magis meritus quam de Clinicis quorum tela debili repressit umbone, nova subjunxit experimenta quibus, natura salis, per aëra vagantis, naturam ad acidum vergere probatur. Mirum tamen videtur nobis virum adeo occulatum, sal illud modo prosapiæ vitriolicæ, modo sulphureæ, modo nitrosæ dixerit, *iterum ne dormitaret*? Quidquid sit perpensis omnibus hâc de re hactenus typis mandatis, defendimus acidum aëreum longe diversum esse, ab acidis seplasiariorum, quæ mixti à quo educuntur, sæpius naturam redolent, sicque forsan basis salinæ, cui adhærebant aliquid sinu suo fovent. Acidum illud quamvis ubicumque dispersum non æqualiter dispergi; naturam ejus magis accedere ad spiritum sulphureo volatilem quam ad nitrosum, aut vitriolicum. An ex hoc petenda ferri & plumbi in aëre errosio ut contendunt ELLIS ... GRIMM. ELLER, petenda ne ejus origo; è terris magis quam aëre? Intelligitur ne ejus metamorphosis in varia acida in experimentis à JUNCKERO & TECHMEIERO recensitis judicent, quibus contigit eadem experimenta retexere?

Hæc sunt quæ de salibus per aërem vagantibus juxta experimenta à multis instituta statui possunt, præscindo à specialibus salibus quæ circa certas plagas minus universaliter disperguntur. De halitu illo è mephitidibus, paludibus, liquoribus, fermentatis educto. Timeo in apum & muscarum regionem spatiari, & ab arte medicâ quam veneror, multum longius discedere, amœnis Philosophiæ illecebris jam satis est datum claudantur rivi, cæteris respondebimus juxta placita Athletæ strenuissimi.

QUÆSTIO SEXTA.

QUÆSTIO SEXTA.

An tota antimonii ſubſtantia in chermes minerale verti poſſit, Et an cum quocumque ſale paratum idem omnino ſit?

CHermes minerale, pulvis carthuſianorum pulvis eſt purpureus, paratus decoctione, ex antimonio crudo & lixivio alcalico (1), ſpontè ſecedens è vehiculo: quâ proportione refrigeratur. Conſtat alcali & ſulphure in hepar converſis (2), & regulinâ antimonii parte reſolutâ.

Artis Chemiæ magiſtris GLAUBERO, LEMERIOQUE, haud fuit ignotum, non minus tamen in forum Medicum fuit adductum paterno. LUDOVICI magni amore cujus magnificentiâ publici juris factum eſt

Portentoſas & indicationum theoriæ repugnantes dicimus pleraſque huic remedio conceſſas vires, nec alias ex hoc expectandas eſſe præter ſalutarem alvi ductionem atque hinc deducendos effectus, ſub circumſtantiâ datâ. Nec minimum locum obtinere debet carthuſeri ſententia: *Chermes minerale (ait) maximis quidem laudibus, à Lemery juniore ornatur & reliquis antimonii ſulphuribus impuris præfertur aſt me ſentiente nullam prærogativam meretur.*

Sed à diverticulo ad rem. Repetitis proceſſibus antimonium ferè ſpoliari ſua metallico-ſulphurea parte, in chermes converſâ docuit experientia celeber. Geofroy (3). Quod facilius etiam demonſtraretur ſi parato chermes minerale methodo ſiccâ reſiduum ſubjiceretur examini Chemico. Non minus tamen concludi poteſt ſi non ſtricto ſaltem lato ſenſu, totam ſubſtantiam antimonii (exceptâ terrâ lutuoſâ quæ ſubjecto veriſimiliter eſſentialis non eſt) in chermes poſſe converti. Hinc patet prima problematis pars.

---

(1) *Quod narrant quidam, de chermes minerali acidi nitroſi interventu parato, nondum pro certo habeo.*

(2) *Triplicem hanc ſubſtantiam demonſtravit* Geofroy, *act. acc. ſcien. 1735. variaſque proportiones ſubſtantiarum determinavit ſub dragma* 1, *Chermes mineralis, gr. 17. circiter regulinæ partis obſervavit, ſulphuris gr.* XLI. *ſalis alcalici gr.* XIV.

(3) *78. Ebullitionibus,, obtinuit quartam circiter antimonii partem in chermes converſam. de proportione tamen nihil ſtatui poteſt ſal enim lixivii ſubſtantiis unitur. Hinc fit ut in officinis in quibus triplici tantum ebullitione paratur chermes. Vulgò dicatur abſque antimonii decremento fieri.*

Quoad ſecundam partem nullum rationis momentum video in Chimiſtarum libris pro ſtatuendâ identitate quæſitâ aut diſſimilitudine, quin oppoſitum illico videam ; an errore artis ? An ratiocinantis ? Si dicam validius eſſe alcali nitri, alcali tartari ; illico aquæ quantitas quæ addi aut minui poteſt hanc rationem infirmat. Dicam ne alcali tartari eſſe diverſum ab alcali nitri *ſignum pugnæ canent* Chemiſtæ. Hanc tamen obſervationem ipſorum examini ſubjicio Spiritu vitrioli ſali alcaëſt afuſo, elevantur vapores nitroſi, dum è ſale tartari vapor educitur ſulphureus. Quidquid ſit, unum in hoc judicem agnoſco ſolvendo problemate, nempe clinicam obſervationem de quâ nihil mihi conſtat eo que magis quod experimentorum primis periculis mihi ſimiles ſubjicere erubeſcerem. Notabo tamen ſervandum eſſe *ligerii* proceſſum, ut potè nullis incommodis obvium ; multaque eſſe ſimilia Chemicè quæ clinicè differunt ſivè id à vario nexu magis minuſvè intricato, ſive à proportione partium pendeat. Hinc locus ſit ſapienti ſcepticiſmo in retexendis remediis. Quibus præmiſſis ſic concludimus quoad ſecundam partem.

Ergò quamvis abſolutè nulla demonſtraretur differentia inter chermes minerale vario ſale alcalico paratum non minùs cum ſale alcalico nitri parari debet.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An Salia alcalia volatilia cum putrefactionis ſoboles eſſe ſoleant, putrefactioni adverſa eſſe poſſint ?

SALIA volatilia non modo ignis, ſed & etiam putrefactionis, forſan imo motuum animalium &c. Fœtus eſſe ſuperius diximus. Sal enim volatile non modo fundunt pleræque ſubſtantiæ putrefactæ, ſed muria, carnibus pregnans, putrefacta mirum oſtendit phænomenon nimirum converſionem ſalis marini in ſal acre cauſticum ſemi volatile. Hinc ſal volatile alcalicum fermentum putrefactioni aptum dictum eſt. Aſt perperè ; fermentum unicum datur putrefactioni movendæ aptum nempè gas illud è ſubjectis putrefactis dimanans cujus effectus adeo ſtupendi ſunt ut illico vel validiſſimus Ajax humi procumberet, ipſiuſque deleteria vi corpus faciem veri ſphaceliſmi præ ſe ferat.

Ceteræ ſubſtantiæ ex accidente putrefactioni favent, tale eſt ſal marinum quod ſi carnibus inſpergatur ipſarum putrefactionem promovet,

humida ad superficiem attrahendo; quod si prius carnes in frustula tenuissima scindantur putrefactionem avertit.

Sic gangrenâ frigida correptis opitulantur salia volatilia alcalia, sanos vero & æstuantes in nodorositatem trahunt, calorem animalem augendo. Quæcumque enim corruptioni apta sunt nisi careant humido aut aëre sub certo caloris gradu celerrimè computrescunt hinc venus, & brasica sub leone nocent, prosunt autem maturi fructis horræi.

Experimentis à Pringlio institutis constat carnes sale volatili inspersas tardius corrumpi. Hinc deducitur sal volatile putrefactioni adversum esse posse, etsi huic experientiæ adversetur Boërhavii theoria quibus præmissis.

Ergò etsi salia volatilia sint putrefactionis fœtus non minus putrefactioni adversa esse possunt.

QUÆSTIO OCTAVA.

An sulphur & mineralia sulphurea antimonium crudum & cinnabaris in circuitus orbitam transeant & in humores Chemicè agant?

PRINCIPIIS physicis, mechanicisque exequi suas actiones medicamenta nullus inficias ibit. Hinc qui huic Provinciæ sufficere vult leges hydraustaticas, staticasque calleat necessum est.

Nec tamen iis legibus omnia comprehendi existimes, multa sunt in corpore quæ nec mechanica, nec physica sunt, ex quâ peti debet secundaria & immediata plerorumque medicamentorum vis, scilicet fibræ contractio sensibilis.

Posterioris autem hujuscè causæ indolem sacro obvolvit natura involucro ast quidquid utile ex eâ desumi potest effectibus determinatur.

Hæc autem quamvis & ratio & experientia firment, non minus tamen insufficientia videntur in plerisque casibus; corpus humanum ad instar navis, procellis sæpius agitatur, hinc qui legibus suis nimium fidit in Sillam aut Carybdim præceps trahitur.

In procellis ut magnes nauclerum sic Medicum observatio dirigit tempore nubilo tutius itur si observationi uniatur theoria.

Quæ tantum hoc titulo insigniri meretur in quantum debito ordine &

à principio certo procedit, à ſimplici ad compoſitum quæ ſimilia à diſſimilibus prorſus diſgregat.

Vetant temporis anguſtiæ plura ſuperaddere, cætera ſtatuemus exemplis. Totum problema hoc duplici articulo ſolventes.

1o. An ſulphur, cinnabaris, & antimonium in ſanguinis oceanum tranſeant. 2o. An agant vi ſaponaceâ, fundente.

Sulphur interius aſſumptum & exterius applicatum in ſanguinis oceanum tranſire modo conveniens fiat ſolutio, docent ſequentia.

Perſpiratio fætida, ſulphur ſolutum olens & argentum nigro colore inficiens, tuſſis, pulſus crebrior: quæ nec infrequenter obſervantur viſcerum ariditates, hæmoptiſes, hæmorrhagiæ narium, hæmorroïdes natæ ex præpoſtero ſulphuris uſu, quod teſtaretur vir fide dignus qui abuſu unguenti cum oleo & ſulphure compoſiti iis ferè omnibus fuit ſymptomatibus correptus, ſolo uſu balneorum & demulcentium repreſſis.

Sulphuris etiam in circuitus orbitam tranſitum demonſtrat vis aquarum ſulphurearum in reſerandis pulmonum tuberculis.

Non egò inficiar ſulphur bile ſolvi poſſe; & præviâ factâ triturâ, ſi pulveris formulâ ingeratur, ſanguinis oceanum attingere poſſe, ſed hæc cum multis repugnent prætermitti patiar.

Ex cinnabaris autem ſulphure vix quidquam eſt expectandum, nec firmat obſervatio quod ejus diviſibilitate arguitur; hinc actio cinnabaris mercurialibus magis convenit; quæ evidens fit ſi cinnabaris pura ſaccharo trituretur, & dein cum conſervâ quâdam appropriatâ ingeratur. Protracto enim uſu oritur ptialiſmus. Quæ autem de antimonio crudo prædicant multi, mentitur obſervatio, nec blandæ actiones corporis ſufficiunt alterandis metallicis ſubſtantiis ut quibuſdam viſum eſt. Vaporatio & radiatio à multis excogitatæ inter pueriles ineptias locum merentur.

Nunc ad ſecundam problematis partem quoniam effectus ſulphuris & mercurialium ſi non cum vi ipſorum ſtimulante conſentiunt, ſaltem abſque ulla Chimicâ ſolutione explicari queunt; vixque concipi poteſt ſivè in ſulphure, ſivè in mercurio vis ſaponacea: imo repugnat gr. IV. V.vè ſulphuris quæ in ſanguinis oceanum tranſeunt moli 20ti. Circiter librarum ſolvendæ ſufficere. Concludimus.

Sulphur & cinnabarim in circuitus orbitam tranſire, non vero antimonium crudum. Nec tamen in humores Chimicè agere.

Athletæ ſtrenuiſſimo reſpondebimus. De iſto problemate. In quo peccat diatritariorum, & gymnaſticorum Medicina, & quid boni ſit ex eâ expectandum.

QUÆSTIO NONA.

QUÆSTIO NONA.

Quomodo paretur vitrum antimonii, an mitius fieri possit & ut quibusdam visum est remediis aliis præstantior sit in colicâ pictonum & in dysenteriâ?

RECIPE antimonii optimi in alcool redacti libram unam, lento igni committe in tigillo latioris fundi, & rudiculâ vitreâ continuo agita, ne concrescat iterum, donec in cinerem redigatur cavendo ut pulvis fumet, non fundatur; ubi fumare desinet, crucibulo tecto committatur & violentiori igne liquescat: tunc massa, in tabulam marmoream leniter prius calefactam, effundatur.

Plura media adhibuerunt Chemici ad retundendam venenatam hujus vitri vim; quæ, quoniam mihi minus pertinere videntur ad propositam quæstionem, quam eæ mitigationes quæ in Parisiensi nosocomio vulgo usurpantur ad ultimam regero quæstionem & ut propositæ quæstioni satisfaciam breviter de plumbi venenata vi, de colicâ pictonum & dysenteriâ sermonem instituam.

Plumbum quamvis integrum innoxium sit, & non solum intra carnium textum recondatur, sed & etiam intus innoxiè ingeratur, ut ait SENNERTUS, tamen si comminuatur, aut liquoribus acido debili prægnantibus solvatur, validissimum fit venenum, quod testantur observationes HOFFMANI de tinctura GARAMMANI & ferales effectus pulveris *successionis* dicti. Tota autem hujus veneni vis, sedet in obducendam tenaci quâdam albugine tubam intestinalem; nisi sub vaporum formâ pulmones attingat, in quo casu eundem in bronchiis producit effectum, & tunc asthma insanabile creat.

Ubi autem stomachum attigit, sivè huc salivæ mixtum adducatur cum vaporibus, sivè ingeratur, lædit & oritur dirissimus colicus dolor initio gravativus, sensim abiens in pungitivum, & sese diffundens in humeros, dorsum & lumbos, donec tandem aliquandò aut in tabem aut in paresim artuum desinat. Qui morbus propriè saltem in sensu problematis colica mineralium dicitur.

Porro quoniam causa materialis hujus morbi affixa est toto tractui tubæ intestinalis, nullâ arte avelli potest, absque catharticorum usu, & quæ hactenus de specificis dicta sunt, vana Chemicorum promissa censemus.

Iterum meo judicio peccant qui huic morbo erradicando indiscriminatim stimulantia superius dicta propinant, namque si dolor in stomacho sedet, & pressu augetur, tunc indicatio urgentis symptomatis est adimplenda, donec detur locus remediis causæ materiali avellendæ idoneis.

Ex authoribus famosissimis vitrum antimonii mitigatum Saccharo & in pastillos redactum (1) primitias tenet in colicâ mineralium erradicandâ, ast hæc methodus in istis regionibus non minus infida est, & purgantia sub formâ solida ferè numquam proficiunt. Faciliusque erradicatur morbus, si usurpentur repetita minorativa. Quod si vel minimum paresis appareat signum, tunc carthartico-emeticis sub formâ liquidâ usurpatis, res perficitur.

Porro cautè in omni regione præscribendum est vitrum antimonii quâcumque methodo paretur, *principiata enim suorum principiorum naturam redolent*, & in usitata formula pro colicâ pictonum, partes emeticæ tantum obvolvuntur, non mutantur ut demonstrat celeber. Geofroy.

In dysenteriâ autem laudant multi, ex Pringlii temporibus vitrum ceratum antimonii, (2) ast petitè notat celeberrimus Baron portentosa, & artis fundamentis repugnantia esse, quæ de hoc remedio circumferuntur. Quippè fieri nequit unicum remedium omnibus dysenteriæ casibus accommodari. Porro docent hujuscè remedii laudatores tantam in eo latere vim, ut modo secessu, modo vomitu, modo alte-

---

(1) *Mochlique pour la colique des Peintres.*

Prenez du sucre en poudre & de l'eau commune de chacun 4 onces, de verre d'antimoine en poudre 2 onces, faites cuire le sucre avec l'eau, & écumez-le, mêlez-y le verre d'antimoine, faites cuire la matière, au point qu'étant refroidie, elle puisse prendre une consistance solide, alors versez-là sur un papier froté d'huile, la dose en est depuis 20 gr. ad 40. Examen d'un livre qui a pour titre T. Tronchin.

(2) *Le* vitrum ceratum *se prépare ainsi. Prenez du verre d'antimoine reduit en poudre subtile une once, de la cire jaune, quatre scrupules, faites fondre la cire dans une ceüiller de fer, ensuite ajoûtez y la poudre, tenez la ceüiller sur un feu doux sans flâme, l'espace d'une demi-heure, en remuant sans discontinuer avec une spatule de fer; ôtez ensuite la matière du feu, versez-là sur du papier blanc & gardez-là pour l'usage.* Manuel des Dames de Charité.

Mr. Geofroy substitue à ce remède, le verre d'antimoine porphyrisé & broyé exactement avec des matières grasses & onctueuses, Memoire de l'Acc. Roy. 1745.

ratione per se curet radicitus : Mirifica certè doctrina, sed repugnans rationi & experientiæ.

In hoc autem morbo raro succedunt purgantia acria, & dum turget saburra tutius erradicatur radice brasiliensi, quam emeticis stybiatis; quorum particulæ ut pote ponderosæ vix vomitu rejiciuntur & nocent, tubam intestinalem irritando. Radix autem brasiliensis in eo etiam mihi præcellere videtur quod dysenteriæ fomes sæpius sit in vesicâ felleâ, quam blanda emesis evacuat. Sed hæc sufficiant & sit pro coronide.

Sic paratur vitrum antimonii & mitius fit : non minus tamen est expungendum in colicâ pictonum & in dysenteriâ.

QUÆSTIO DECIMA.

An ferrum rubiginosum vires ferri immutati, aut calibis possideat, & quid ex ipso decedat cum, aquâ juxtà Lemerii methodum, aut rore maïali solvitur?

FERRUM seu mars, metallum est nigricans, caractere specifico attractatione nempè magneticâ, propriâ gravitate specificâ, â cæteris metallis distinguendum.

Hujus binæ vulgo distinguntur species, ferrum commune seu mars & calibs seu ferrum cementatum.

Terrâ specificâ & *phlogistico* constat, nec sulphur perfectum, nec ullum sal ipsi essentiale est.

Sulphuris absentiam demonstrant sequentia: scintillat non inflammatur, si prunis inspergatur sulphur olet non verô dum crucibulo ignescit.

Ejus autem regeneratio ex terrâ martiali specificâ, & principio phlogistico dicto, omne sal ex ejus essentia excludit, fatendum tamen, sapore vitriolico aquam infici dùm solvitur, ast acidis aquam comitantibus id tribui magis debet, quam alteri cuilibet causæ. (1).

Dum acidis solvitur vapores emittit inflammabiles, remanente terrâ

(1) *Aqua acidum habet* Stalh. *fund. chem.* . . : *Sal illud volatile* Bourdelino, & Neumano *è ferri rubigine eductum, sub ipsa ferri errosione, & sub ignis violentiâ fuit productum.*

martiali. Hinc necessario demonstratur *phlogisticum* decedere dum in rubiginem abit.

Acida ergo phlogisticum expellunt è ferro & simul coëunt.

Quâ autem proportione decedit phlogistica pars, decedit vis aperiens, nova vero exurgit astringens nempe. Quibus tamen circumscribendi sunt sui limites; terræ enim martiales refractariæ merè fatuæ, & inertes calces sunt.

Hinc jure suspicatur vim ferri astringentem, ex acidi & terræ martialis concursu oriri.

Æthiops martialis à ferro immutato non discrepat nisi in quantum partim *phlogistico* tantum spoliatur, servat etenim suam attractionem magneticam.

Crocus martis aperiens non æqualiter spoliatur, omni *phlogistico*, & dum quædam particulæ merè calciformes evasere, multæ, quæ scintillis micant, metallicam formam servant, & magneticæ sunt.

Porro superius enarrata, cum clinicâ observatione quadrant & dum acida in primis viis luxuriant ferrum pulveratum alvum frænat, secus subducit, & tunc nequidquam est expectandum è vi ferri aperiente, in quo casu alvus interdum subducenda est, imo absorbentibus & roborantibus, nisi ferrum maritatum sit, nihil prodest, quibus præmissis sit.

Ergò ferrum rubiginosum vires non habet ferri immutati nec calibis, & cum aquâ, juxta methodum Lemerii filii, aut rore maiali, solvitur decedit phlogiticum.

QUÆSTIO UNDECIMA.

Num ex omni materiâ animali & ex omnibus liquidis per corpora circumeuntibus extrahatur æqualis quantitas salis volatilis?

TOTO erraret cælo, qui propositam versari quæstionem circa, indagandam corporis humani naturam, sibi fingeret jamdiù obsolevit vetus error, & manet medicorum altâ mente repostum.

Chemiam etiam solertissimam vix retinere posse substantias illibatas, semper quippè miscet prius separata, & à priscâ levissimèque mutabili indole ipsas

immutat. Novis non modo formis sed & etiam dotibus imbuit. Imo in contrarias prorsus convertit. Quod si quis inficias eat, eliciat, amabo, è cruore bilem & excrementitios humores, eritque mihi magnus Apollo.

Sal alcalinum volatile facilè distinguitur viroso suo odore, summa sua incoërcibilitate, ejusque concretione cum spiritu vini, in offam, (1) effervescentiaque frigidâ dum acidis connubat. Hinc quæ aliquot ex iis signis non perhibent ea nullo sale volatili scatere jure dici debent. Talia sunt ossa eorumque gelatinæ, sanguis humoresque animales quod si nova accedente mutatione sivè putrefactorio motu, sivè ignis actione ibi novæ appareant substantiæ, ibi generari à nova hacce causa dici debent.

Ex utraque hac, sivè humores, sivè solida, omnesque animantium partes, generant (2) in substantiis volatile sal, ast sub variâ proportione, prout fert diversa substantiæ naturâ, diversa præparatio, diversus putrefactionis gradus. Huic si KUNCKelio, & junkero fides sit prostractiori putrefactione salia volatilia in nitrosa convertuntur.

Videtur ergò difficilis problematis solutio, si de varia aptitudine substantiarum agere animo habemus, ast facilè ex ipsarum aptitudine ad putrefactionem determinari posset, hinc urina bile, bilis trombo sanguinis; aptior videtur suppeditando sali volatili, namque limpha, albumen ovi vix quidquam suppeditant.

Quoniam autem quæstio de facto est (liceat pro liquidis circumeuntibus habere etiam bilem & urinam) & patebit prima propositionis pars, namque urina longè majorem salis volatilis quantitatem suppeditat bile ipsâ, dein sequitur thrombus sanguinis post hunc sperma.

Quoad materies animales in genere; prior solutio quamvis litem dirimat, in subsidium vocabo *Tournefortium*, qui ex urinâ & sale armoniaco præsto majorem eduxit salis volatilis quantitatem, quàm è filo serico, & è filo serico quam è cornubus.

N. B. Omne sale volatile animantium, non esse alcalicum, initio enim destillationis humidæ suppeditant pleraque insecta sal volatile acidum talia sunt gens favifica cujus cumuli spirant virosum acidum, gens

---

(1) *Notandum tamen est spiritus alcalinos volatiles calce tractatos sæpius non concrescere cum spiritu vini.*

(2) *In vegotabilibus quibusdam sal volatile essentiale admittunt* Hierne, Wedelius, Wallerius, Dodartius, Boëerhaviusque, *prodit se namque in familiâ cruciferarum distillationis, initio ast in animalibus res perindè non se habet.*

gregaria, aculeata, Crabronum genus. (3) Liquor enim ex iis deſtillatus non longè diverſus eſt à phlegmate viridis æris, mutat enim tincturam florum malvæ in rubram, ferrum & plumbum rodit.

Aſt Cum res hæ nudæ theoriæ ſint ſubjungam in diſputationum gratiam quædam magis Medica.

1. Specificis (etiam ſi darentur) morbi non poſſunt debellari abſque methodo diætetica.

2. Regula hæc celſi. *Anceps meliùs eſt, quam nullum, experiri remedium* eſt injurioſa viro perito.

Curatio quæ magis conſervat eſt ſemper anteponenda, modo ſufficiat ſanationi; & medicamentum conſervans & ſanans, medicamento validiori præcellit, quidquid fiat ex uſu ultimi remedii.

Sed hæc ſatis ſint ſitque pro ſtadio.

Ergò ex omni materiâ animali, & ex omnibus liquidis per corpora circumeuntibus æqualis non extrahitur quantitas ſalis volatilis.

QUÆSTIO DUODECIMA.

An ſit quædam encheireſis quâ antimonium ſpoliari poſſit vi ſuâ emeticâ relictâ interim vi alvum laxante?

TENACITER ſuis euporiſtis adhæret pſeudo-Chimiatria, quaſi ait BOERHAVIUS, quidquid naſcitur ex opere Chemico ſemper idoneum eſſet curandis morbis aut natura indidiſſet vires ſubſtantiis ſpecificas: Hinc mitigationem ſuorum draſticorum propoſuit ut non modo catharticum tutius hactenus notis obtineretur, ſed & etiam vi pollens alvum abducendi, ſalvâ irritandi facultate, ut teſtatur Pechlinus. Aſt vana fuit ſpes. Quæ etſi autem ex prægreſſis deduci poſſint, quid hâc de re ſentiendum ſit, ſequentibus tamen paginis, ultrà omnem dubitationis aleam ponere, inanitatemque euporiſtarum demonſtrare ſatagam. Hanc etiam accipite partem mecenates venerandi & quem numina ſinunt, audiat vocatus Apollo.

Omnem alviducorum vim ſedere in mediocri, blandâ, & ſatis aſſiduâ irritatione tractus inteſtinalis, nullam quæ dari legitimam

(1) *Hoock. miogr, obſ. 24.*

alvi ductionem abſque derivatione feri in primas vias (1). jàmdudum demonſtratum fuit & FREINDIO & neotericis. Ex quo corruere & HYPOCRATIS ſympathiæ & ERASISTRATIS corruptelæ & GALENI tractrices vires & MESUEI cælitus emiſſæ & FERNELII facultates occultæ & CHIMISTARUM ſolutiva & copulæ.

Lux tenebras, ſimulquè phantaſmata fugat converrit & diſpergit: Relucente recentiore Chimiatriâ BOHINII, BOERHAVII ipſorumque ſucceſſorum penè celeſtium corruit, omnis vana drafticorum mitigatio, & ars clinica Chimiatriam repurgavit. Sed proximius attingamus propoſitum problema.

Antimonium crudum ſulphure, communi analogo, & regulinâ parte emeticâ conſtare, docet ſolutio antimonii in aquâ regiâ, (2) præparatio ſulphuris âurati antimonii, varii que reguli ſtybii, deflagratione aliave methodo parati. Quandiù regulina pars (conſtans ex phlogiſtico & ſpecificâ terrâ) manet ſulphuri ſuo unita abſque ullâ ſulphuris reſolutione, (3), ità irretitur ut vi omni emeticâ ſpolietur, aſt dum mucrones reguli, ſui juris fiunt, vis vomitoria expeditur.

Regulinâ autem ſtybii pars ſufficit huic operi tenuiſſimis ſuis particulis, modo non aſſignabili fibras ventriculi vellicantibus quarum ſenſus automaticus exquiſitus in contractionem determinat, vicinas abdominis partes quæ ſubſidiantes ventriculo *vomitioni* favent.

Hinc ſi conferantur quæ ſuperius de purgantibus dicta ſunt patebit, regulinam antimonii partem non ſpoliari poſſe vi ſua emeticâ niſi quatenus materiebus viſcidis particulæ emeticæ irretiuntur; diductio ènim partium non ſufficit ut quibuſdam viſum eſt, in vitro antimonii borace arenâve tractatum & præcellit vitrum ceratum antimonii. Porro quoniam unio pinguis ſubſtantiæ & regulinæ antimonii partis Chimica non eſt ſed mechanica, ortum eſt ex hinc infidum, nec tutum purgans. Cui longè præcellunt vegetabilia cathartica jure BENEDICTA dicta; quibus ſi non jucundè, ſaltem certò & tutò alvus ſubducitur pro libitu clinici HINC PATET concluſio.

Ergò dantur encheireſes quibus antimonium ſpoliari poteſt vi ſuâ emeticâ, relictâ interim alvum laxante, ſed cathartica hæc tuta non ſunt iiſque vulgatiora præcellunt.

---

(2) Vix hæc quæ requiritur derivatio concipi poteſt abſque ea aptitudine quæ eſt in purgantibus ſivè mucilagineis, ſive reſinoſis, quâ tubæ inteſtinali adhærent. Jàmdudum obſervavimus fructus horræos ſubducentes cum ſalivâ lenteſcere.

(2) *Vide Boërh. Ch. tom. 2. proceſſus 208.*

(3) *In chermes minerale ſtat ſulphur metallicum ſed reſolutum eſt.*

ERRATA.

Pag. 6. *lin.* 11. Si cum calce aut alcalicis fixis tractentur, *leg.* si cum calce non verò alcalicis, &c.
Pag. 9. *lin.* 2. suburrâ, *leg.* saburrâ.
Idem, *lin.* 16. peristallico, *leg.* peristaltico.
Pag. 10. *lin.* 4. *quomodo*, leg. *quomodo.*
Idem. *lin.* 15. frimat, *leg.* firmat.
Idem. *lin.* 27. quantitam, *leg.* quantitatem.
Pag. 14. *lin.* 1. ratlonis, *leg.* rationis.
Pag. 20. *lin.* 13. astringens, *leg.* aperiens.
Idem. *lin.* 23. phlogiticum, *leg.* phlogisticum.